DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PHRENITIDE.

QUAM

ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. CAROLI DRELINCURTII,

Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimi,

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit,

JOSEPHUS JEZURUN PINTO, Amſtelodamenſis.

Ad diem 18. *Maji, horis locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER.

Academiæ Typographum. MDCXCIV.

DEO

PATRIÆ

PRÆCEPTORIBUS,

CONSANGUINEIS,

ET

AMICIS,

Haſce Theſes Inaugurales offert

J. J. PINTO,

Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PHRENITIDE.

PROOEMIUM.

Cerebro, humani corporis intellectus ſedes, aut domicilium ubi præſtantiores, & omnium nobiliſſimæ œconomiæ animalis functiones peraguntur, veteres, & junioros æquo animo ac jure merito, præ cæteris nobilioribus corporis partibus principatum nobilitatis ipſi largiuntur: cum mirabiliora Divini Opificis Arcana, & opera (nunquam ſatis miranda, & laudibus extollenda) in conſtru-

ctione tanti operis, & officio quam maxime effulgeat. Hujus mirandæ architecturæ recta conſtructio, animaliumque ſpiritum motus, & influxus debitus quoſcumque animæ, & corporis actus ſentiendi, movendi, cogitandi, mamorandi, appetendive, debito ordine, læſione immunes cuſtodiunt; ſed quamvis tot naturalium actionum in ſimpliciſſimis, & tot paucis principiis ratio formalis ſtabiliri videatur, poteſt nihilominus multiplici de cauſa, variiſque modis à recta tendendi ratione deflectere; ut in tanta deliriorum diverſitate, mania ſcilicet, melancholia, moroſi, phrenitide, furore uterino, & innumerabilibus aliis experiri licet; & quamvis ipſarum ſingulæ mirificam mereantur contemplationem, acutior periculoſior, difficiliorque ſe offert Phreniſeos, ad cujus explorationem opus & labor eſt; cum nihil in terum natura præſtantius nilque difficilius, quam proprias rerum cauſas, & eſſentias perſcutari, ſed laborioſius adhuc in arte Medica, in qua propter objecti nobilitatem, & mirabilem, ac reconditam ipſius ſtructuram, plurima quæ vivente corpore, ſepulcro ignorantiæ latent, cadavere exiſtente, difficillime indagantur & raro inveniuntur. quapropter in morborum cauſis inquærendis, & inveniendis philoſophandi libertas ampla relinquitur Phiſiologis Medicis, quæ maxime innumeros in vera rerum cognitione iluſos, imo difficultatis pelago immerſos magis relinquit (quamvis veniæ nihilominus dignos) cum in re adeo ardua & conjecturabile ſatius ſit cuilibet Philoſophanti probabiliorem, & magis intellectui, experientiæque congruam præbere rationem, quam ſincero animo (controverſiam quantum poſſibile ſit evitantes) demonſtrare conabimur in Diſputatione noſtra de Phrenitide, ad cujus explorationem animus libenter propendit.

THE-

DElirium cum febre continuca, cumuniter ore omnium Phrenitidis voce accipitur (*quod per apoſtamems calidum in Valemine ſub-ſili, & Craſſo Cerebri abſque corpore ipſius, quamvis Corpore quandoque Accidat apoſtema*) deffinit Avicena: ſicuti paraphreniſeos per ſepti tranſverſi inflamationem; & cum ipſo antiquitas fere tota formalem phrenitidis rationem in vera meningum, aut meditullii inflamatione, (ſanguine ſcilicet extravaſato) & paraphrenidis esſentiam in diaphragmatis iuflamatione Conſiſtere, certo certius arbitrantur, continuitate delirii, & comitis febris devecti, minimè utriuſque perpetuitatem callere valentes, abſque fixa, & ſtabili cauſa, qualis extravaſatus ſanguis exiſtit; ſed cum Meningum, aut cerebri apoſtema, ſeu inflamatio concipi bene non poſſit abſque cerebri, & nervorum preſſione, quæ potius lethargum comatoſumve affectum produceret, quum phrenitidem, in qua fere ſemper vigilia & delirium comites inveniuntur: quæ potius cerebri meatus laxiores, patentioreſque arguat, quam compreſſos.

II.

Medici juniores hoc ſuſpicio non pauci Momomenri veritatis cupiditate commoti, experimenta Anatomica aliquorum phrenitide defunctorum tentarunt multoties, in quibus nullam inflamationem, ſeu Apoſtema in cerebro, aut Membranis, ſive diaphragmate invenêre; quam in lethargo, cephalagia defunctorum Craniis vidêre aliquoties, aut cerebri ventriculos ſeroſo humore repletos, vel meninges petuitoſo abſceſſu inflatas; quapropter experientia convicti, recentiorum opinandi modum adhærimus magis; Phrenîridis eſſentiam in ſpirituum anîmalium quôad totam ipſôrum Hypôſtaſim inflamatione, & in ordînato môtu, ab acrimônia ſalîna volatili ſangûinis in cerebro ſuas ludente tragedias dependente, una conſiſtere, cenſemus: ex qua definitione, Omnia phrenitidis phenomena recte deduci poſſe, clarèque in ipſa comprehendi per explicationem illorum uberius patebit.

I I I.

Febris Phrenitidis pars eſſentiæ in acrimonia ſalina volatili recte cauſam ſtatuimus, quæ ſanguinem nimis rarefaciendo è carceribus exſtricata (ignis inſtar excandeſcens) cerebrum velociter atque intrepidè irruit, & Spiritus Animales vehementi motu & acrimonia irritando ipſos proſilire, & tumultuare cogit, vaſa ſua fortiter expandendo, & ſe invicem propellendo mutuo impediuntur; undè ideas objectorum anteà ordine reſervatas ſecum ferentes, inordinatè commotas incocinnè ſenſui communi, & imaginationi præbent, undè phaſtaſmata varia horribilia ipſis repræſentantur, de quibus intellectus judicium ferre non poteſt neque voluptas aliquid determinare, niſſi incongruum, & riſibile; eluſcit ſatis ex dictis delirii Phrenitidis eſſentiam integrantis cauſa.

I V.

Reſpirationem magnam, & raram nonnunquam interruptam Phrenitici habent; quoniam ob nimiam objectorum contemplationem, adeo rapitur mens, ut raro objecti moleſtantis irritationem ſentiant, & non niſſi perciti nimis revocantur, & refocilationem quærere coguntur, ſecundum finis urgentiam, quæ inæqualis aliquando eſt, ob inordinatum ſpirituum motum, & propter eandem cauſam phrenitici de functionibus ſaluti ſumme neceſſariis penitus obliviſcuntur, qualis urinæ excretio alvi depoſitio eſt, ardorem per potum ſedare, alimoniam ſumere, non niſi ſtimulentur valdè, renuunt.

V.

Tremonibus, & convulſivis motibus vexantur delirantes diverſimodè Corpore jactantur, ſummiſque anxietatibus corripiuntur, quæ omnia ab ſanguinis acrimonia membranoſas partes vellicante; & ſpirituum inæquali influxu, ſanguinis circulatione, ſuam videntur accipere originem.

V I.

Urina alba, & pellucida imminente phrenitide, imò quò in deterius vergit pellucidior conſpicitur, quæ non parùm Medicorum intellectum hucuſque contorquit, cauſam illius inveſtigantium: veteres facillimo negotio à tanto dubio ſe denodari putant: bilemque totam in cerebrum rapi, ibidemque ſuggeſtam detineri, cauſam una omnes profitentur; ſed quomodo bilis è ſan-

ſanguine conſortio divelli queat, quibus in vaſibus ſeparetur, & cerebro colligatur, nec docent, aut minus explicari poſſunt, (in quo totus difficultatis cardo conſiſtit) cum bilis collecta ſub propria forma non miſſi in Hepate ſeparetur, & in veſica ſellea congregatur: Arduum eſt ergo credere talis bilis Metaſtaſim in cerubrum; ſed quoniam animus non eſt, aliorum opinionem refutare & contenſionem quærere; ſed propriam exponere ſententiam, id benevolo animo (quamvis timido) faciam.

VII.

Convulſivi motus in Phreniticis urinas albas, & pellucidas antecedunt, qui fortiores permanentioreſque ſunt, quo phrenitis in deterius irruit, pari paſſu urinæ albæ gerruntur; cum vaſa, & ſanguis unà præmantur, glándulæ etiam renum nimis arctantur, per quas non niſi tenuius, & pellucidius quale ſerum eſt, filerari poteſt, quod tertianarum febrium paroxiſſimi horrorifici, ardentium præcipue, clarè teſtantur, in quibus urinæ tempore horroris expulſæ ſimilitèr apparent: Quid ergo mirum in Phreniticis ubi convulſiones frequentiores ſunt, quamvis horroribus non vexentur; cum pluries convulſiones abſque horrore inveniantur. Fateor nilominus noſtrum opinandi modum ſuſpicione non carere: ſed in re adeò ardua probabiliorem, tetigiſſe rationem ſit nobis ſatius. Pulſus convulſivi phreniticorum acrimoniam ſanguinis culpant, membranoſas nervoſaſque corporis partes affici, magiſque pati, oſtendunt clarè; magni, celeberrimi, & frequentes ſepe reperiuntur, à ſanguinis per plurimum efferveſcentia ingenti, & velociter circulantis.

VIII.

Phrenitidis eſſentiam omnium ferè intrinſicas cauſas diffuſè ſatis dillucidavimus, ſpiritum animalem, animamque ſenſitivam, immediatum ſubjectum morbi ſtatuimus; conjunctas Cauſas varias aſſignant veteres, de quibus inter ipſos Contenſio parva. Non eſt; cùm plurimi illorum à ſanguine ſub forma ſanguis, hunc morbum producere poſſe arbitrantur, Hippocratis Autoritate innixi; *decipientiæ quæ cum riſu fiunt ſecuriores quæ vero cum ſtudio periculoſiores*; & cùm riſus cauſam ſanguinem agnoſcant, inferunt indè phrenitidis eſſe cauſam: bilem pallidam, & flavam omnes fatentur, Atrabilem nonnulli concedere renuunt, niſi phrenitis in maniam degeneret; ſalſam pituitam dubitant plurimi,

mi: nos vero acrimoniam ſalinam plus debitò exaltatam veram cognoſcimus cauſam, ſive ſanguineæ, bilioſæ, melancholicæ, atrabilariæ conſtitutionis ſit, perindè nobis eſt; cum ſanguis non niſi quatenus ſale ſcatet, aut ex vinculis extricatur, tales leſiones, quales in febre adeò magna, delirio, & vegilia continua conſpiciuntur, parere poſſit.

IX.

Procatarcticæ cauſæ partim in ſanguine, partimque in cerebro, ac incolis ipſius conſiſtit: prævia ſanguinis diatheſis ſalina ſulphurea, ſive bilioſa, cerebi conſtructio laxa, aut prava, ſpiritus animales acres, & tenues, ad hunc morbum perducere poſſunt.

X.

Cauſæ remotiones quam plurimæ dantur quæ ſanguinis diſcraſim pro talis morbi apparatu producere valent; quales ſunt ebrietas, crapula, uſus acrium, evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ, immoderata excercitia, immodica ſtudia, animi pathemata, amoris, odii, indignationis, æſtiva temporis conſtitutio, inſolatio, & aliæ multæ, quæ quatenus ſanguinem particulis ſalinis replent, aut illas exaltare cogunt, proclives maxime ad ſimilem morbum homines devehunt.

X I.

Actualis phrenitidis diagnoſtica ſigna, cum ex morbi hiſtoria rellatis, & ejus eſſentia elluſceſcant ſatis; refere ſupervacaneum judicio; imminentis vero prævidere ſigna, maximi emolumenti, & futuri ægri utilitatis foret, ut à tam diro morbo poſſit præcaveri, & ad medici honorem extollendam, tanti morbi præcautio non parum conduceret, præcipuè dum phrenitidis ex aliis expectatur morbis, ut febre maligna, peſtilente, cauſone, aut magnis inflammationibus, quæ plurima indicia præbent futuræ phrenitidis, ut caipitis continui vehementes, ac lancinartes dolores, aſſidua Vigila, ex Hipp. primo prog. *peſſimum verò* (Diſente) *nec Die nec nocte dormire*; *nam aut dolore Vigilabit aut delirium ſuccedet huic ſigno*; Vigilia continua analogam delirio cauſam arguit, ſanguinem nempe mordacem, ſpiritus nimis acres, cerebri ſiccitatem; veſtigia omnia imminentis delirii.

X I I.

Aliud ſignum ex motibus brachiorum convulſivis deſumitur, quod

quod non minus in febribus ardentibus, & malignis venturæ phrenitidis proconium exiſtit; ex Hipp. aph. 25. (diſcente) *quibus in febribus ardentibus tremones fiunt delirio ſolvuntur*; genus nervoſum affici clare indicat, ſanguinis & ſpirituum acrimoniam augeri, æque demonſtrat, ex quibus non præter rationem timenda.

XIII.

Urinæ albæ, & pellucidæ in febribus cum tremoribus ſimul, citiſſimam phrenitidem pronuntiant, in gremio nervoſo ſalina illa corpuſcula reſidire magis arguit: ſi ab aliis morbis non oriatur phrenitidis, ſed primò per ſe incipiat, inſomniis horribilibus interdormiendum perturbantur, poſtea Vigilia, multa garriri incipiunt; præcipue de quibus delirare debent, vociferationes, exclamationes multæ, iratis occulis adſtantes conſpiciunt.

XIV.

Accutiſſimumm eſſe Phreniſeos, & peniculo plenum omnibus eſt notum; brevi ad vitam vel ad mortem terminari, experientia compertum; aliquando in continuam decipientiam commutari videri nonnalli; decipientiæ quæ cum riſu fiunt ſecuriores, ad vitam terminari ſolent, ſudores capitis, & corporis copioſò, & ſangeinis narium fluxu. aut diuriſi largiori; quoniam ex materia non valdi acri, & laudabile magis dependere riſus indicat; junioribus & temperaemnti ſanguinei; hocce genus Phrenitidis invadit magis, qui melius & frequentius evadunt, quam bilioſi, macilenti, aut melancholici; acrioris ſunt conſtitutionis, & raro beantur; ſi in lethargum permutetur exitialis cenſetur; cerebri vaſa diſrumpi, & ſanguinem extravaſari denotat; deterius vero ſi vomitus bilioſi, & convulſiones adſint continuæ, cum urinis pallidis, tunc res diſparata; citò mortem venturam denuntiant; idem ſi morbis accutis obveniat phrenitis expectandum, pravum materiæ motum, aut cauſæ augmentum evincunt.

XV.

Oculi continuò lacrhymantues, explorandum pronunciaut finem; tantam eſſe ſeri acrimoniam, & cerebri debilitatem oſtendunt, ut ſponte fluere cogantur; ſi inter dormiendum, aut vigilandum dentibus ſtrideant, funeſtum quidem eſt, ex Hipp. Primo prog. dicente, *dentibus ſtruidere in febribus, quibus*

à pueritia conſuetum non ſint furibundum & mortale; *ſi vero mente commotus Hoc fiat admodum* (*exitioſum*) *jam fit*: in cerebro magis inpingi cauſam, & nervoſum ſuccum depravavi ſignficat: pulſus tenſi, & parvi comitis mortis exiſtunt.

XVI.

Si phrenitis ſua habeat intervalla, ſalutis ſpes aliqua effulgit, maxime ſi ſomnus delirium ſedat, ex Hipp. benigniorem arguit cauſam ceteris aliis ſignis feliciter concurrentibus.

XVII.

Sanguinis diſcraſim ſalinam volatilem ferociter excandeſcentem phrenitidis cauſam prebuimus; quæ comtemperationem fixationem, ſeu ſalium intrincationem pro ſui correctione, & morbi curatione indicat planè; & quamvis phlebotomia per ſe primo & immediatè ſimili indicationi ſatisfacere non videatur, (cum ſolummodo plenitudini per ſe primò opponatur) tantam nilominus vim & præſtantiam in ferocia tanti hoſtis ſedanda habet, ut ſuo tantum modo auxilio nonnonquam Cedere, Hiſtoriæ plurimæ, & experientia exclamant; ſed quid mirum? cum ſanguis non ſua tantum acrimonia, verum etiam ſuo depravato motu, & ſpiritum ſimul, ſimilem affectum pareat, pro cujus moderaione nihil puæſtantius, & quod colerius in tam accuto morbo debellando citiſſime auxilium præbere poſſe exiſtimo, quam phlebotomia, quæ immoderatos, & efferos ipſorum motus (incantamenti inſtar) compeſcere valet, ſanguinem & ſpiritus diminuendo, effervefcentia & violenti motus una ſiſtuntur.

XVIII.

Talis in phrenitidis initio ex talo celebranda, ex brachio poſtea, & morbo indeterius vergente ex jugularibus venis, ex naſo, aut fronte, imo temporali arteria; quæ toties repetenda eſt, quo uſque morbi magnitudo, & virium robur permittat: cucurbitulæ excarificatæ uſurpantur etiam in ſcapulis aut occipite (ſi quies egrotantium tale concedat, veſicatoria plurimi ſunt uſus, in capitis morbis, præcipue frigidis, quumvis in calidis conferre etiam ſolent, ſpiritus à ſuo motu divertendo, & ſerum ſânguinis evacuendo, in quo magis ſalia diſſolvuntur.

XIX.

Enemata non minus in principio utenda veniunt, quibus alvus lubrica ſervetur, magni emolumenti eſſe ſolenr, ſi morbifi-

cam

cam cauſam evacuare efficiant: attemperantia refrigerantia uſurpanda, dum viſcera œſtuant.

X X.

Purgantia nullius ſunt uſus in curatione iſtius morbi, niſi declinante, lenientia, & temperantiſſima tunc exhiberi poſſunt; quibus recrementa illa retorrida ex morbi progreſſu in inteſtinis detenta, expellantur.

X X I.

Præcipuus iſtius morbi curationis ſcopus, in ſanguinis excadoſcentiæ contemperatione conſiſtit; qua propter interim ac evacuationes celebrantur, decocta refrigerantia, incraſſantia adhiberi debent; quæ ex Hord, Portulaca, Plantagine, nenuphari, ſcortionera, borragine, & ſimilibus præparari poſſunt, cum ſpiritu nitri, ſulphuris, aut Vitrioli dulcificati, qui miram efficatiam habent, in fervore ſanguinis cohibendo: emulſiones ex ſem. frig. cum diachodiatis mirificè profunt, ſomnum conciliando, quod Maxime neceſſarium, & præſtantius in hocce morbo. quibus non proficientibus. ad narcotica tam quam ad anchoram recurrendum, quæ prudenter adminiſtrata opem maximam efficaciorem præbent; à debilioribus prius incipiendum, quoniam moleſtiam non parvam ferunt ventriculo.

X X I I.

Soporifera externa, epythemata etiam temporibus, fronti, imo univerſo capiti cum fructu in principio adhiberi poſſunt; cujuſmodi ſunt, Oxyrrhodinum, placenta roſacea cum aceto roſaceo madefacta, embrocationes ex decocto lactucæ, portulacæ, hyoſcyami, aut capitis papaveris.

X X I I I.

Lenimenta ex ung. populeo, roſaceo cum caphura aut oleo nucis moſcatæ per expreſſionem, egregiè ſpirituum & ſanguinis flammam extingere valent, qua ſedata, ſæpe ſæpius nimis incraſſatur ſanguis frequenti talium Medicamentorum uſu, aut vi fervoris aliqua portio extravaſatur, & tunc reſolventia adminiſtranda quæ ſuo miti calore coagulatam materiam diſſolvere poſſint; uti columba aut pulli Diſciſſi, Agni, aut Vervecis pulmones calentes; in quem uſum mirè laudatur ſedum majus contuſium cum lacte muliebri permixtum, & ra-

ſo

ſo ſyncipiiti applicatum; quæ ſi debilia ſint paulatim ad fortiora tranſire oportet, ne iterum exaltetur ſanguis.

XXIV.

Victus ratio in tam acuto morbo tenuis debet eſſe, & ſimul medicamentoſa ſanguinem attemperans; hujuſmodi ſunt typſanæ ex hordeo, & aliis farinaceis; tenues in initio poſtea craſſiores: jura ex pullis junioribus & carne vitulina recenti cum lactuca, cucurbita, & portulaca decocta; & minime pinguia; potus ſpirituoſus prorſus renuendus; frigidus, & accidiuſculus præſtantiſſimus.

XXV.

De virium conſtantia debet eſſe cura maxima, cum tot anxietatibus, vigilia, & delirio plurimum labefactari neceſſe eſt; quapropter cardiaca tempeata, ex aqua meliſſæ, roſacea, cum tinctura corollarum, confectione hyacinthorum confert maxime; ad efficaciora aſcendendum ſecundum virium urgentiam.

XXVI.

In Phreniſi grotantes ſui immemores redduntur, & de alvo deponendo, & cienda urina penitus obliviſcuntur; quapropter ab aſſiſtentibus revocandi ſunt, & ſuadendi talia faciant; qui ſi non obtemperent, tunc regio pubis oleo ſcorpionum, ung. dialtheæ illinienda, aut ſpongia cum decocto ſambuci ſemin. apii, & dauci madefacta, calide pubi admoveatur; manu veſica comprimatur, & ſi non ſufficiat candela immittatur; & alvus cliſteribus acribus (ſi linientia non proſint) ſolicitanda. Hocce methodo feliciter nonnunquam beantur Phrenitici.

COROLLARIA.

I. *Febris bene Concipi non poteſt, abſque ſalium extricatione: ſive per fermentationem, efferveſcentiam, aut putrefactionem fiat.* II. *Immediata omnium Febrium cauſa in ſpiritibus ſemper exiſtit.* III. *Quamvis in omni febri ſanguinis perturbatio detur, ejus eſſentia nilominus in perturbatione non conſiſtit, ſed in majori ſpirituum motu.* IV. *Pathognomonicum ſignum febris, frequentia pulſus præternaturalis exiſtit, & minimè aliud.* V. *Revulſio, derivatio, & evacuatio per Phlebotomiam, adhuc exiſtente ſanguinis circulatione, maximæ ſunt conſiderationis, & ſummè neceſſariæ in arte medica.* VI. *Bilis in ſanguine formalitèr non exiſtit, niſi in veſica fellea.*

FINIS.